



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Refutatio illius quòd Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo
Missam sine communicantibus celebrant 77

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

liter admoneantur: id quod Aduersarij ipsi exemplo Christi consentaneum, primumque & Christianum esse confitentur. Videat Christianus Lector, quid Liber ea de re tradat & ordinet.

Controuersia igitur inter Librum Reformationis & aduersarios quantum ad hunc articulum pertinet, his tribus quaestionibus continetur. Quarum prima est, utrum liceat S. Cœnam Domini sine communicantibus celebrare. Altera, Vtrum permissum sit, plures quam vnam missam vel Cœnam Domini simul eodemque tempore celebrare.

Tertia, Vtrum reprehensione careat, S. Cœnæ præsentem interesse, sacramenta verò non percipere.

Ad tres istas quaestiones omnes respondet Liber Reformationis vnâ cum antiquis Ecclesiis, quæ adhuc verum intellectum vsûque huius sacrosancti sacramenti retinuerunt, sicut eum à Domino ipso per Apostolos acceperant, dicitque nullum istorum tum licitum ac concessum esse. Huius verò negationis euidentissimæ constâtissimæque causæ habentur in citatis locis Libri Reformationis, ex institutione Christi, doctrina D. Pauli, dogmatibus item, traditionibus & obseruationibus veteris Ecclesiæ productæ. Eas inspiciat, ponderetque Christianus lector simplici ac Christiana mente, & tunc iudicetur inter Librum Reformationis & Aduersarios.

Refutatio illius quòd Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo missam sine communicantibus celebrant.

De Communione apud Missam.

CAP. LXXVII.

P RIMUM argumentum quod pro abusu isto adducunt, est, Dominum hoc sacramentum propterea instituisse, ut quotquot vera fide & deuotione peterent, quoties eis videretur, aut necessitas requireret, ipso frui possent, qua in re nec multitudo, nec paucitas hominum, nec tempus nec locus eos remorari debeat. Sacerdotem igitur non malè facere, si solus sacramenta percipit, etiam si nemo cum eo communicet, si tamen non omittat admonere populum, ut ad communionem frequentius se preparat.

Alterum argumentum est, Communionem huius sacramenti nõ consistere in externa sola sumptione sacramentali, sed præcipuè in æterna spiritali, Et sacerdotem in S. Cœna non tantum orare pro præsentibus, verum etiam pro absentibus. Ad hanc thesin confirmandam citant S. scripturam de Cœna Dominica, sanctos item Patres, Augustinum, Ignatiû, Chrysostomum, & deinde dicunt, spiritualemente communionem, & orationem bene peragi, exerceri ac promoueri posse, sine sacramentali perceptione. Ac demum concludunt, Sacerdotem igitur posse missam celebrare sine communicantibus. Obseruet Christianus Lector cuiusmodi Theologi & dialectici sint Aduersarij.

Tertium

Tertium est, Quo probari posse aiunt, tam occidentales quàm orientales Ecclesias partim quotidie, partim frequenter missam celebrasse: ex populo verò quosdã in festo Paschatis tantum, quosdã ter aut quater in anno communicasse. Vnde concludere volunt, veteres Episcopos sæpenumerò ac frequenter missam sine communicantibus celebrasse.

Responsio.

AD primum argumentum. Institutum quidem est sacrosanctum istud sacramentum à Domino, vt quicumque vera fide & deuotione id petunt, eo frui & debeant & possint. Verum qui solida fide id petunt, ij certè non aliter nisi iuxta institutionem & ordinationem Domini id facient. Iam verò institutio Domini talis est, vt fideles hoc sacramentum in commune, ac simul congregati, percipiant: id quod Dominus ipse in prima Cœna obseruauit, & in posterum obseruari præcepit, vt testatur D. Paulus, ex eoque concludit, *Non esse Cœnam Domini seruari, vbi non in commune celebratur, sed qualibet secula suam propriam Cœnam administrat:* hortaturque vt fideles apud S. Cœnam se mutuo expectent, eamque in commune celebrent, I. Cor. II.

Ægroti ad Ecclesiam se conferre nequeunt, meritò igitur Ecclesia per aliquos ministros suos ac mēbra ad ipsos accedit. Nihilominus tamen apud ipsos quoque, vt in Libro Reformationis ordinatū est, vię ac rationes inueniendæ sunt, vt cōmunio cū ipsis seruari possit. Quod cū aliquādo cōmodè fieri nequit, vel propter defectū tēporis, vel personarū, tunc in eiusmodi casu potestatem habet Ecclesia dispēsandī necessitatis causa: estq; externa hæc ordinatio, quæ vult vt aliàs sacramentum istud vnà cum aliis simul communicantibus percipiatur, vtilitati & ædificationi infirmi postponenda. Verum vbi nihil obstat quò minus homines cōuenire possint, ibi ordinatio ista nullo modo violari debet.

Quamobrem S. Patres si quando communitatem apud communionē præsentē habere non poterant, ipsi autē per se sacramentū sumere cupiebant, tūc S. Cœnā in priuatis Orariis celebrarunt: verū non soli, sed vnà cū deuotis eorū fratribus. Sic legimus de S. Vdalrico aliisque Patribus, quod priuatas missas celebrauerint. Aduersarij citant hoc loco, quod de Gregorio Naziāzeno memoratur in historia Tripartita lib. 9. cap. 8. Verum id non de priuatis, sed de publicis missis scriptum est.

Nam vt in vita huius Episcopi, quā Gregorius quidam presbyter conscripsit, legimus. Erant Constantinopoli, cū sanctus ille vir eò venisset, omnia alia tēpla per hereticos vel destructa vel occupata, adeò vt suam congregationem, in exiguo quodam oratorio, quod Anastasiā, id est resurrectionem vocauerat, habere cogeret: quod etiā Gregorius ipse testatur, in vltima concione sua, cū ab Episcopatu Constātinopolitano discederet. Sequentibus temporibus Imperatores hoc templum ampliarunt. Verū Aduersarij non tantoperè de veritate laborant, vt rem aliquam rectè inuestigent: sed cū primum eis aliquid prima fronte cū libro Reformationis pugnare videtur, id continuò arripiunt. Porrò quod de Ioanne Eleemosynario memorant, hæc tales sine dubio

priuatæ missæ fuerunt, quas sanctus iste episcopus cum deuotis suis Clericis in Episcopali domo celebravit.

Ceterum quæ audacia & impudentia est, istorum hominum, qui in tã diuinis tantique ponderis rebus ad eò impiè, ad eò sine omni timore ire diuinæ iocatur & ludunt? Quando liber Reformationis ad consolatione infirmorum, qui sacramentũ vera fide & deuotione in extrema necessitate petunt, ordinavit, ut S. Cœna apud eos in propriis ipsorũ domibus celebraretur, ibi non satis amplificare & extollere possunt, quod antiqui de tẽpore & loco S. Cœnæ Dominicę ordinarunt & obseruarunt. Hic verò vbi Reformatio instituit, ut Cœna Domini pro valentibus & sanis, cũ nulla necessitas aliter postulat, in Ecclesia simul congregata celebraretur, vbi fideles simul communicent, iuxta Domini ipsius dispositione & ordinatione, ibi omnia libera esse affirmat, deberetque vnicuique libet permitti omni tẽpore, omni que in loco, prout cuiuslibet libitum fuerit, sacramentũ percipere, idque nulli vel multitudini, vel paucitati hominũ simul communicantiũ, nulli denique loco aut tẽpore astringendum esse. Hæc inter se confer, Christiane Lector, ac indica quid isti homines quærant. Deinde etiam perpende, si opinæ præbendæ, & pecunia quàm ex missis lucrantur, vnã cum existimatione & autoritate, quam isti homines ex missarum celebratione apud rudem ac simplice populum, & in errorem per eos abductum, habent, ipsos non ita impelleret ad tam multas missas celebrandas, an nõ facile ab eis impetraturi essemus, ut priuatis suis missis Christũ Dominum blasphemare, & Ecclesiam eius offendere cessarent. Apertè enim id elucet in his, qui præbendarum sacerdotiorumque bonam partem consecuti, neminem cum missis suis vehementer perturbant. Id Christiani in dies magis ac magis agnoscunt, iudicabitque Dominus, & iudicat quotidie.

Verũ liber reformationis nulli vel multitudini hominũ vel tẽpore vel loco S. Cœnã astringit, sed pię ac Christianę deuotioni liberrimã relinquit. Quæ ut iã antea dictũ est, institutione Domini, quã nemo corrigere aut emẽdare potest, mutare nõ cupiet, atque idcirco S. Cœnã Domini nõ nisi cũ fidelibus fratribus, eaq; communẽ, & in ritè cõgregata Ecclesia Christi celebrabit. Verè. n. fidelis deuotio etiã per sacrũ Euãgelium, & exercitiũ in S. Scriptura, sicut in oratione quoque, seipsã cõfirmare ac cõsolari facile potest: in eoque verũ panẽ cœlestẽ Christũ Dominum nostrũ sine dẽte ac ventre percipere & manducare, ut iã antea dictũ est.

Responsio ad alterum argumentum.

Alterum argumentum est, Communionẽ huius sacramenti consistere non tantum in externa sola sumptione sacerdotis, & circumstantiam, sed præcipuè in spiritali & interna, &c. Item Sacerdotem dum altari assistit, orare non tantum pro presentibus, verum etiam pro absentibus.

Hæc ambo vera sunt, Vera communicatio huius sacramenti non solum in externa perceptione, sed præcipuè in interna & spiritali sumptione & cõmunicatione cũ omnibus mẽbris Christi tã in cœlo quàm in terra

terra consistit. Debet quoque Sacerdos, quemadmodum omnium Christianorum munus & officium exigit, non pro parentibus tantum, sed etiam pro omnibus hominibus per totum orbem dispersis, preces fundere. Non minus verum est, spiritualementem istam sumptionem & communionem Christi haberi, exerceri ac promoueri, sacerdotem denique pro omnibus hominibus orare posse, etiam si non dispensentur Sacramenta, imò etiam ubi ea penitus non habentur nec usurpantur. Cæterum præter hæc omnia constat & illud, quotiescunque propositum fuerit hoc Sacramentum celebrare, & minister S. Cœnam administrare voluerit, faciendum id illi omnino erit, quod fecit Christus Dominus, nempe Sacramenta re ipsa dispensanda, non tantum monstranda, & à se solo sine aliis simul communicantibus sumenda. Omnes quoque qui missæ præsentibus interfunt, id ipsum facere debent, quod Christus Dominus per ministrum illis præcipit, cum inquit, *Accipite & comedite: Accipite & bibite ex eo omnes.* Verba enim Domini fidelibus semper sunt verba vitæ æternæ, quæ tantum in ipsis est, summa diligentia ac fide imitantur, nihilque sibi obstare patiuntur omnium eorum, quæ mundus vllò vnquam tempore contra excogitauit, vel exercuit, vel adhuc hodierna die exercet.

Responsio ad tertium argumentum.

Pro tertio argumento dicunt, Et in Occidentalibus & Orientalibus Ecclesiis aliquos tantum in festo Paschatis, alios semel alios ter aut quater, nonnullos frequentius, paucissimis autem quotidie Sacramenta percepisse; missam verò quotidie habitum esse. Quare missam sæpenu-merò sine communicantibus celebratam fuisse.

Rursus nota, Christiane Lector, quam elegantes isti dialectici sint; & quam pulchra ratio connectendi, qua vtuntur, Non vniversus populus quotidie Sacramenta percepit, Ergo S. Cœna omnino sine communicantibus, & in quouis angulo celebrata est. Quasi verò non semper pij aliqui & zelo Dei ardentes Christiani, atque etiam Clerici apud eiusmodi Missas simul communicare non potuerint.

Euidens demonstratio ex verbo Dei, & veterum Ecclesiarum observatione, Nullam missam sine communicantibus celebrandam esse.

CAP. LXXVIII.



VERBUM Dei clarum est, Hoc facite in mei commemorationem, nempe id ipsum, quod fecit Dominus. Iam verò aperte testantur Euangelistæ, quod panem & calicem in manus sumpserit, & vtrumque discipulis suis porrexerit, præceperitque vt ambo Sacramenta accipiant, manducant ac bibant. Quid manifestius ac magis